


752853

752853

Stake, kill.

Man. Poiray.



EPISTOLA
D. ERASMI
ROTTERODAMI

*contra quosdam qui se falso
dicunt Evangelicos.*

*Eiusdem ad Gutbertum Tonstallum Episcopum Lon-
doniensem epistola.*



Ant. paup. 1808.

*Coloniae excudebat Ioan. Gymnicus,
Anno M. D. XLII.*

ERASMVVS ROTE
rodamus, Gerardo Nouiomago S.



Oleo literas tuas nobis
sero redditas: iam enim
excuditur epistola, qua
inuidiam per illos libel
los mihi cōflatam depel
lo, quanquam abstinens tuo nomine,
quod immutavi. Miror per quos hic lu
dus ludatur. Bene uale. Friburgi ter
tio die decembris. Anno M. D.
XXIX.

*Hinc scripto. Ac uiderunt Argentinos
Theologi quoniam de ipis potissimum
Basilicenis ipsa tractantur in primis
1529.*

ERASMVVS ROTERODAMVS

VVLTVRIO NEOCOMO

S. D.



BIBLIOPOLA quidam reddidit
mibi Davidis quondam Ultraiectini
presulis galerum, uillis hirsutum se-
ricis: mibi quidem nuli futurum usui,
sed tamen hoc nomine gratum, quòd
mibi cum ipsius, tum Philippi fratris eius, qui illi in di-
gnitatem successit, memoriam refricet: sub quorum al-
tero sacris initiatus sum, alterum habui singulari stu-
dio meis fauentem cōmodis: qui & anulum insigni sa-
phiro decoratum, germani Davidis olim gestamen,
ceυ μνημόσυρον quoddam penes me esse uoluit. Vtri-
usq; certè memoria mihi sacrosancta est, non tantum
ob id, quòd imaginibus magnum illum Philippum pa-
trem cognomento Bonum, nobis referebant, quo non
temerè reperias alium inter Brabantie duces lauda-
torem: uerum etiam quòd studio pacis & religionis
amore præcelluerunt, in hoc quoq; laudatissimum pa-
rentem nobis referentes. Alterius uirtus crebris sedi-
tionibus fuit exercita, ac proinde illustrior. Altero
diu frui non licuit, quòd senex iam, ac uergente etate

IN PSEVDEV ANGELICOS

pertractus ad hoc muneris, moxq; magis etiam contra animi sententiam autoritate Caroli Cæsaris, bellorum tumultibus inuolutus, relictis terris, in feliciorē sedem demigravit. Porro quòd significas tibi molestam egestatem, equidem nec tam sum inops, ut non possim, nec tam parcus, ut grauer amiculo aureos aliquot impartiri: sed hæc benignitas quantulum haberet momenti ad tuam egestatem subleuandam? Res mihi sanè mediocris est, minimumq; superest meis necessitatibus. Multum impendij requirit hoc corpusculum, etiam tum delicatū quum ætate floureret, aliquantò plus senectus, plurimum aduersa ualetudo, geminusq; morbus, uterq; immedicabilis. Nam aduersus senectutem nullū est à medicis remedium: ita negant calculum in senibus esse sanabilem. Iam bona pars mihi deciditur in famulos & præsentēs & dimissos, in nuncios & γραμματοφόρους: in eos, qui nostros labores industria sua nonnihil subleuant, hoc est, qui uenantur uetustos codices, qui conferunt enotantq;, qui nostra relegunt, qui describunt. Ad hæc uix credas quanto rei familiaris detrimento reliquerim Basileam. Nam illic præter alia commoda, domum habebam alienis impendijs sartam, aliena suppellectile instructam: hic ære meo paranda sunt omnia. Postremò, ut precia rerum ad crescunt supra modum, ita decrescunt census. Cæsar agit fabulam planè motoriam, ut ne creditores qui
dem

EPISTOLA ERASMI ROTER.

Idem nunc aufint illum appellare : tantum abest ut & ociosus consiliarius, & appellator non minus piger quam uerecundus, stipendiū accipiam. Ferdinandi régis eo statu res sunt, ut illius benignitas intrà beneuolentis animi pomceria cōsistat. Iam quod ex Anglia Flandriaq; soluitur, adeò uenit accisum & arrosū, ut interdum quarta pars absit. Siue in causa est nouata apud Anglos moneta, siue mutata numismatum aestimatio, siue mensariorum ars. Quin iam pridem nec ex Anglia, nec ex Flandria quidquam adfertur, quum hactenus certissima fuerit illorum censuum solutio. Suspicor aliquid monstri ali. Eaq; gratia famulorū meorum fidelissimū illuc emandauī, ingenti quidē sumptu meo, sed quod mihi charius est, incolumitatis illius non leui discrimine. Verū postquam, mi Vulturi, induxisti in animum Euangelicam uitam profiteri, miror paupertatem esse molestam, quum beatus Hilarion, ubi non inueniret quod pro nauulo solueret, gloriantium duxerit, quòd insciens ad tantam Euangelij perfectionē peruenisset. Gloriat̄ & Paulus, quòd sciat abundare & penuriam pati, quòd nihil habens, omnia possideat. Idem collaudat Hebræos quosdam Euangelium amplexos, quòd rapinam bonorum suorum cum gaudio suscepissent. Nemo tibi quicquam, opinor, eripuit: sed ultrò quod erat, licet exiguum, pro derelicto habuisti, teq; ipse prudens ac uolens isti paupertati de

dicasti. Adde, si Iudæi non patiuntur inter ipsos esse
 pauperes, quanto magis conuenit, ut qui iactant Euan-
 gelium, fratrum inopiam mutua benignitate subleuent:
 præsertim quum Euangelica frugalitas minimo sit con-
 tenta. Si panis cibarius adsit & aqua, non desiderant
 Attica bellaria qui spiritu uiuunt. Nesciunt luxu: iei-
 unio pascuntur. Ipsi Apostoli, cõfrictis manu aristas,
 famem sedasse leguntur. Alium fortasse deterreret,
 quod diploma Leonis, ut audio, deuouet omnes, qui isti
 us doctrine professores, aqua, igni, aut hospitio iu-
 uant. Verum id ego sic interpretor, qui iuuat ob sectæ
 fauorem: alioqui, si germano fame periclitanti subue-
 niam, non ob aliud, nisi quod germanus est, non arbi-
 tror diplomatis minas ad me pertinere. Idem existima-
 rim, si hominẽ, licet damnatum, subleuẽ, non ob aliud,
 nisi quia homo est, & quod diu spirat, spes est illam ad me-
 liorem frugem redituram. Nam iuxta Theocritũ, non
 est spes ulla sepultis. Fortassis hic tibi uidebor cauillis
 ludere, at alijs idem non uidetur. Dices, non postulo
 subsidium pecuniariũ, tamũm operam tuam ad poëti-
 ces professionẽ requiro. Verecundẽ flagitat quisquis
 queritur. At mihi, Vulturi charissime, longẽ maior eti-
 am est ocij, quã nummorum penuria: nec isthuc oportet,
 quod petis, exiguo negotio præstare queam, ut maxi-
 mẽ præstare ualeam quod petis. Quid me iam tot an-
 nis ab isto studiorum genere alienius? Quod autem at-
 tingis

EPISTOLA ERASMI ROTER.

tingis de offensione, nō possum tali amico irasci, etiam si uelim. dolere me fateor, quōd in istum labyrinthum temet conieceris, undē utinam te possim eximere: utinam tibi tum pro alijs quibusdam fuisset in consilio, qui nunc (ut scribis) detestantur ad quod pridem in stigarunt. Sed harum rerum sera est querimonia. Sanabilius erat malum, nisi te libellis cōditis orbi prodidisses. à quibus tamen ne monitus quidem temperasti. Parū erat euulgasse epistolam ad Spirensē conciliū: non magno interuallo profilijt nobis ridiculus ille cometes, Carolo Cæsari dicatus. Quum iterum te meis scriptis admonuissem, ut à talibus iocis temperares, qui & principum animos ad seuitiam iritarent, & adeo nihil iuuarent causam, à cuius uictoria uestra pendet incolumitas, ut etiam grauissimē lædant, placidē quidem respondisti, sed perinde quasi te fuisset hortatus, ut simile quiddam iterum designares: ita rursus ad conciliū Spirensē, cui tum rex Ferdinandus præsidebat, missus est libellus, nomen Erasmi literis bene magnis præferens. Titulus erat, Epistola Erasmi, quum esset fragmentum alicunde è libris meis excerptum, ut lector parū attentus, existimaret meam esse sententiam, Non esse fas in quenquam hereticum pœna capitis animaduertere, eaq; res Cæsarem, Ferdinandum, aliosq; principes, atque etiam Romanum pontificem, in meum caput iritaret.

IN PSEVDEVANGELICOS

Post hoc fragmentum sequebantur quedam tuo nomine, simpliciter, ut ab omnibus audio, seditiosa. Nam mihi nondum uacauit legere. Hoc factum tam abhorrens ab humanitatis amicitiaeq; natura, ego uehementer admiratus sum, alij magnopere detestati sunt. Ceterum quò minus tecum expostularim, migrationis negocia fuerunt in causa. Concoctum est hoc, aut potius dissimulatum: & ecce nundinis autumnalibus prorupit similis libellus, eandem canens cantilenam, qui in frontispicio prægrandibus literis profitebatur, Adnotationes Erasmi: reliqua tuo nomine succedebant, magis ad excitandas seditiones, q̄ ad pietatem conducentia. Iam finge mihi in tot libris alicubi excidisse, hereticos non esse capite plectendos: an hoc erat humanitatis, quod erat mihi ad conflandam inuidiam accommodatissimum, id truncatim decerptum, oculis & auribus principum ingerere, prætermittis his quæ uel mitigabant atrocitatem dicti, uel quid uerè sentirem explanarent? Si hoc faceret alienus in alienū, quis non desideraret in eo candorem & humanitatem? Nunc hæc facis amicus in amicum, & amicus Euangelicus in eum amicum, qui nunquam tibi, neq; facto neque dicto præbuit ansam dissuendæ necessitudinis. Iam hoc atrocius est quòd nusquam id doceo, nō esse sumendum capitis supplicium de hæreticis, nec usquam adimo gladii ius principibus, quod illis non ademit Christus nec

Aposto-

EPISTOLA ERASMI ROTER.

Apostoli. Tantùm admonco locis aliquot, ne sit hic præceptis principum seueritas, nec facillè præbeant aures quorumlibet theologorũ aut monachorum delationibus. Sunt dogmata scholastica, de quibus dubitare non est semper impium: & de quibus inter ipsos sepe numero non conuenit, est error simplex: neq; statim est hereticus, qui lapsus est in aliquo fidei articulo. Vbi non subest peruersitas animi, ubi nulla est peruicacia, ibi subleuandus est charitate Christiana qui lapsus est, non occidendus. Præterea sunt monachi ac theologĩ, qui uel naturæ seuitia, uel stoliditate, uel gloriæ questus uel gratia, uel deniq; priuato ducti odio, deserunt atrociter non solum quæ friuola sunt, aut utranque in partem disputabilia, sed etiã quæ rectè dicta sunt, peruersissimè calumniantur. Nosti Iacobũ Hogestratum: nosti Nicolaum Ecomdanum: nosti Beddam, quos nominasse sufficit. precor ut reperiant Deum mitiorem iudicem, quàm ipsi fuerunt alijs. Tales admonco Christianæ mansuetudinis, ut, quod Ecclesiasticis uiris dignum est, magis aduigilent ut sanent, q̃ ut perdant. Talis fuit Christus, tales Apostoli, talis Ambrosius, Cyprianus, Augustinus. quorum claritas Cæsareum gladium ab occidendis hereticis, quantum poterat, cohibebat: ipsi lingua librisq; rem Ecclesiæ gerebant, & frequenter pro occidendis intercedebant. Princeps non sine causa gladium portat, fateor, at certè theolo-

IN PSEUDEVANGELICOS

gorum & Episcoporum est docere, arguere, mēderi, docere errantes, arguere feroces, mēderi deceptis. Et quod domini parabola admonuit de non tollendis zizanijs, uel ad illa rudis Ecclesiæ primordia, uel ad Apostolicos uiros pertinet, quibus nō est traditus gladius, nisi gladius Euangelicus, q̄ est uerbū Dei. Hoc me sentire nō potuit te latere, quum hac de re ante cōplures annos responderim Latomo, pridē Beddæ, ac nuper stolidissimis monachorum Hispaniensium calumnijs. Rursus est hæresis, quæ manifestam habet blasphemiam, ueluti quæ Christo detrahit naturam diuinam, quæ diuinos libros insimulat mendacij. Est quæ malitiosis artibus, per tumultus ac seditiones tendit ad opes, ad regnum, ad rerum humanarum confusionē. An hīc alligabimus principi gladium? Ut non liceat occidere hæreticos, certē blasphemos & seditiosos, tum fas est, tum ad tuendam Rempubicam necessarium. Itaq; ut peccant qui ob quemuis errorem pertrahunt homines ad ignem: ita peccant qui in nullos hæreticos arbitrantur prophano magistratui ius esse occidēdi. Verūm quum hi, qui pro hæreticis habentur, suadent non occidendos hæreticos, uel cæco perspicuum fit, non defendi ueritatem, sed queri maleficijs impunitatem. Quid aliud optarent prædones ac piratæ, q̄ persuasum esse, nulli Christiano principi ius esse quenquam plectendi capite? Bonus est timor, qui deterret à scelere. Quod si

quis

EPISTOLA ERASMI ROTER.

quis non uult timere magistratū, quod bonum est optetur, & publica potestas non solum non erit formidanda, sed etiam honori, iuxta beati Pauli consilium. Necessaria est principū seueritas, quam isti seuitiam appellant. Atqui sepe numero fit hominū uicio, ut principes, natura clementes, malorū improbitas cogat ad seuitiam, dum ipsorum lenitate abutuntur: ac primum contemnunt, mox etiam illudunt, & illorū mansuetudinem interpretantur impietatis approbationē. Huiusmodi docent mei libri, si quando locus postulat, non hoc, cuius suspicionē tuus iste ludus mihi conatur impingere: non quòd ipse hoc de me sentias, sed ut imponas simplicioribus. Quæso te per amicitiam nostram, an tibi uideor parū grauatus inuidia, nisi studio tantū addas sarcinæ? Aduersus tot uiperas, aduersus tot crocodilos, aduersus tot excetras, egrè me sustineo fauore monarcharū: nec ulla res erat, quæ poterat illos magis alienare, quàm si illis gladium excutiam è manibus, easq; scetas defendā, quas illi uelut execrabiles radicities euulsas cupiunt: & facerent, nisi rerum motus aliò uocaret illorū animos. Obsecro te amice, quid hostis faceret hostilius? Ut nihil in te contulerim officij, certè iam olim diligo te candidissimè, tuis cōmodis perinde ac meis semper gauisus sum: in cōmodis tuis æquè ac meis indolui. Quònam igitur scelere commerui, ut istis artibus caput meū adducas in discrimē? Nosti monarcha-

IN PSEVDEVANGELICOS

Bartharum iras, scis quod fulmen uibrent irati Ioues. Indignatio régis, ait Solomon, nuncij mortis: nec semper adest uir ille bonus, qui placet iram eius, sed frequenter adsunt mali, qui oleum addant camino. Nec ignoras, quàm multa nesciant principes, quàm ad multa parùm sint attenti, tot nimirum distracti negocijs. Nec te fugit, quot artibus sit armata calumnia, quantumq; ualeat interdum apud summos etiam monarchas. Sæpè iacet innocēs, priusquàm sciat se delatum. Itaq; non queo satis demirari, quo tandem consilio libellos istiusmodi alium post alium euulges. Si hoc agis ut me perdas, quò euanuit animus ille tuus, olim tam amicus, tam syncerus, tam candidus? ubi lèges amicitie? Sin hoc moliris, ut me compellas ad istius sectæ professionem, id iam pridem mea sponte fecissem, mihi crede, si animo meo probaretur fabula. Vt autem profitear ea, quibus reclamatione mea conscientia, nullus efficiet mortalium: ut nunc quidem adfectus sum, mortem citiùs oppetiero. Sed ubi interim uestrum illud dogma, fidem persuadendam esse, non cogendam? & in Euangelij negocio nihil adhibendum præter gladium uerbi Dei? Quòd si ista, ut arbitror, non facis maleuolentia, sed animi gratia ludis, quæso quid hac uoluptate crudelius? An non est aliud ludendi genus, quàm cum amici pernicie deliciari? Sunt qui sufficentur hinc emolumentum quæri uel tibi, uel typographis.

EPISTOLA ERASMI ROTER.

An tantillum lucri tanti est, ut hoc amici summo dispendio captandum existimes? An desunt gratiosa nomina, quorum lenocinio pelliceatur emptor? Quòd si isthuc operæ uel commodas uel locas alijs, qui mihi malè uolunt, quid fingi potest, non iam dicam alienius ab amicitia, sed sordidius atque abiectius? Si magno conductus esses, præmij magnitudo utcumq; facti turpitudinem eleuaret: nunc si precium est, nõ potest non esse uilissimum. Atqui lex amicitie postulat, ut quoties uita seu fama, quæ sæpenumero uita charior est, uocatur in periculum, amicus pro amico uel in capitis discrimen promptè descendat. Sed mittamus amicitie rationem. Si ex animo probas quod profiteris, si uerè tibi persuasum est esse sanctum, piuum, ac Deo gratum quod tueris, quo pacto magis ualeas alienare bonorum animos à uestro negocio? Cometen dicasti Cesari, nec tuum suppressisti nomen. An ille parùm indignatur uobis, nisi talibus ludibrijs magis etiam exaspere- tur? An regem Ferdinandum habetis parùm iratum, nisi talibus fomentis etiam atq; etiam inflammentur, tum ipse tum alij principes illi consentientes? Quorsum attinebat addere oleum camino? An uobis talium monarcharum potestas uidetur contemnenda? Hoc ut impium non sit, an tutum existimas? Atqui mouere uos debet recens agricolarum exemplum. Quid erat illis ferocius? Sed experti sunt uerum esse quod scripsit Solomon:

Tomon: Contritionem præcedit superbia, & ante rui-
 nam exaltabitur spiritus. Et tamen hic quicuerunt Cæ-
 sar Carolus & rex Ferdinandus. Interim non ago ue-
 stræ causæ iudicem, habet iudices legitimos Cæsarem
 & Pontificem. Sed interim fingamus esse piam: ubi
 illa serpentis Euangelici prudētia, qua Paulus sollicitè
 cauet, ne quod offendiculū det Euangelio, sed in omnia
 se uertit, ut omnes Christo lucrifaciat? Vbi columbina
 simplicitas, quæ nec inimicos nouit lædere? An istius-
 modi technis propugnatum est euangelium ab Apo-
 stolis? Atqui iactatis uos Euangelicam ueritatem iam
 plus mille annis sepultam, reuocare nobis in lucem. Si
 uerum dicitis, difficilius negocium agitis, quàm olim
 habuerunt Apostoli. Nec enim Paulo facilius erat Iu-
 daicos abrogare ritus, ac genium superstitionem de-
 struere, quàm ea conuellere, quæ Ecclesiæ proceres
 magno consensu tot seculis ut oracula Dei, docuerunt,
 coluerūt tenuerunt, hodieq; tenēt. Nam gentiū religio
 tantum habebat absurditatis, ut etiam qui inter illos li-
 teras scirent, aut paulò essent cordatiores, intelligen-
 rent esse mera figmenta, quæ de Dijs ferebantur: à cal-
 lidis hominibus in hoc excogitata, ut incondita multi-
 tudo, quæ philosophiæ rationibus gubernari non pote-
 rat, Deorum metu utcunq; contineretur. Et Prophe-
 tarum uaticinijs prædictum erat, futurum, ut gentes,
 relicto demonum cultu, uerum Deum agnoscerent:
 quemad-

EPISTOLA ERASMI ROTER.

quemadmodum & de Iudaicis ceremonijs prædictum
 erat futurum, ut ad coruscantem Euangelij lucem ue-
 lut umbræ euanescerent. At in his quæ uos conuellitis,
 quid obsecro uel absurdum, uel ridiculum? Aut quis
 unquam Prophetes prædixit hoc futurum, ut totus or-
 bis ignoraret Christum ab Apostolis prædicatum, ac
 pro Deo coleret idola, tum quotquot in Apostolo-
 rum uicem successerant, excecati, nihil uiderent in sa-
 cris literis: deinde post mille trecentos annos à nescio
 quibus nouis Euangelistis, ad uirtutis cognitionem re-
 uocaretur? Adde quòd Apostolorum prædicationi fi-
 dem adstruebat perpetuus dogmatum consensus ac mi-
 racula, quum uos non solum dissentiat inter uos, sed
 ijdem subinde nouetis ritus pariter & dogmata, alte-
 ra parte sitis omnino destituti. Arbitror autē nec mi-
 racula tantum attulisse momēti ad nouandum mūdū,
 quantum Euangelistarū mores undiquaq; puros & in-
 culpatos. Nō iam loquor de iciunijs et uestibus, simili-
 busq; ritibus, quos simulant & hypocrite, sed in adfli-
 ctionibus alacritas, in perferendis iniurijs lenitas, ani-
 mus simplex, mansuetus, nulli malū cogitans, & de om-
 nibus bene mereri studēs, omnibus humanis rebus supe-
 rior, & uitæ cōtempтор, præcipuē cōmendabant illo-
 rū doctrinā. Auocabant illi à solitis, sed adducebāt ad
 longē meliora. Vos strenuē clamatis in luxū sacerdo-
 tū, in ambitionē Episcoporū, in tyrannidē Rom. pon-
 tificis,

tificis, in garrulitatem sophistarum, in preces, ieiunia,
 & Missas: nec ista purgari vultis, sed tolli, nec omnino
 quidquam in receptis placet, sed zizaniam euellitis
 cum tritico: aut, ut melius dicam, triticum euellitis
 pro zizania. At quid interim nobis profertis melius
 & Euangelio dignius, ut ab adfuetis recedamus? Cir-
 cumspice populum istum Euangelicū, & obserua num-
 minus illic indulgeatur luxui, libidini & pecunie, quae
 faciunt ij quos detestamini. Profer mihi, quem istud
 Euangelium ex commessatore sobrium, ex feroci man-
 suctum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum,
 ex impudico reddiderit uerecundum. Ego tibi multos
 ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores. Excussae
 sunt e templis statuae: sed quid refert, quum nihilo se-
 cius in animo colantur idola uitiorum? Nec uideo quo
 consilio quidam tanto studio demoliti sint imagines, ni-
 si ut esset conspirationis symbolum. Interim obten-
 ditur horrendum idololatriae crimen. Sed quis nunc
 est tam lapis, ut putet lapidibus ac lignis inesse sen-
 sum? Et si qui tales sint, quantulum erat negocij do-
 cere populum, imagines ad hoc tantum repertas, ut
 imperitis memoriam adiuuent? Excussae sunt preces
 solennes: sed iam plurimi sunt qui nihil prorsus orant,
 quum frequens pura que oratio sit sacrificium ma-
 xime proprium Christianis. Abrogata est Missa, sed
 quid illi successit sacratius? non enim iam confero ri-

EPISTOLA ERASMI ROTER.

*tus cum ritibus, inductos cum relictis. Nunquam illo-
rum ecclesias sum ingressus: sed aliquando uidi redeun-
tes à concione, ueluti malo spiritu adflatos, uultibus
omnium iracundiam ac ferociam miram præ se feren-
tibus: neq; quisquam erat omnium, qui mihi uiris ali-
quot honestis comitato deferret honorem, quem exhibe-
mus quibuslibet, præter unum seniculum. Sic opi-
nor discedunt milites à concione ducis ad prælium, &
ad θύριον ἄλκιρον exhortati. Quis unquam uidit in il-
lorum concionibus quenquam pro peccatis suis fun-
dentem lacrymas, tundentem pectus, aut ingemiscen-
tem? Iam quanta pars ibi consumitur in laceranda sa-
cerdotum uita, ac (si uerum narrant) frequenter in
ijs sermonibus, qui magis faciunt ad seditiones, quàm
ad pietatem? Abrogata est confessio, sed interim ne
Deo quidem confitentur plurimi. Abiectus est cum ie-
iunijs ciborum delectus, sed interim gnauiter indulge-
tur crapula: & ita quidam effugerunt Iudaismum, ut
cœperint esse Epicurei. Protrite sunt ceremonie, sed
nihil accessit spiritui: imò multum decessit, meo qui-
dem iudicio. Ceremonias quasdam Iudaicas obserua-
uit Paulus, ne Iudæos alienaret ab Euangelio. Saltem
hoc animo non erant omnes ceremonie reiiciendæ. Ne
sciebāt Apostoli præscriptos ieiuniorum dies: uerum:
sed ultrò iniussiq; ieiunabant quotidie. Nesciebant ci-
borum discrimina, sed sponte uilissimis utebantur: sum-*

IN PSEUDEVANGELICOS

namq; in omnibus frugalitatem obtinebant. Nemini
 præscribebatur leguminum esus, sed ultrò legumini-
 bus erant contenti, si res ita tulisset. Nulli interdice-
 batur usus uini: sed Timotheus uolens tam uiuebat ab-
 stemius, ut Paulo monitore esset opus, qui præscribe-
 ret modicum uini usum ad fulciendam corpusculi imbe-
 cillitatem. Paula mater Eustochij, nec Hieronymi, nec
 Episcopi senis autoritate perpelli potuit, ut uel in
 morbo gustaret uinum. Si libertatem Euangelicam am-
 plectimur, sic excutiamus lègis iugum, ut charitas plus
 ultrò præstet quàm lex imperabat. Excyssum est iugũ
 humanarum constitutionum: sed ubi sunt, qui submise-
 runt ceruicem suaui iugo Domini? Et interim constitu-
 tiones humanæ, constitutionibus humanis, imò parum
 humanis mutantur. Titulus modò mutatus est, uocan-
 tur enim uerbum Dei: ceterum res ad eò nihilo est mi-
 tior, ut complures boni uiri, præferant ultroneũ exili-
 um isti magnificè decahitate libertati. Atq; ad eò pro-
 ceres quidã & antesignani istius factionis, quum non-
 dum ad Episcoporum dignitatem, opes ac ditionem
 peruenerint, tamen eiusmodi specimen de se præbent,
 ut ego me malim in Episcoporum q̃ in horum potesta-
 tem tradere, si detur optio, malimq; Cesaris poten-
 tissi. ferre iugum, q̃ quorundam magistratuum Euan-
 gelicorum, quamuis humili sorte. Sic excutiunt iugum
 hominum, qui uestro Euangelio submittunt cerui-

EPISTOLA ERASMI ROTER.

cem. Magis uereor ne pleriq; pro graui iugo hominum, portent grauius iugum diaboli. Excussa est obedientia Episcorum, sed ita, ut ne prophanis quidē magistratibus pareatur. Olim Christiani sub ethnicis principibus quietē uiuebant: studiosē cauentes, ne quam seditionis occasionem darent, exhibentes honorem cui debebatur honor, uectigal cui uectigal, tributum cui tributum: hortabantur Christo initiatos, ut idololatrias etiam magistratibus obtemperarent, pro illorum incolumitate quotidie Deum orabant. At iste populus tam Euangelicus, etiam Turcarum principi dicitur detestabilis, quem ait seditioni natum. Quos subinde tumultus excitat: quoties q̄ leuib; de causis procurrit ad arma: ne suis quidē Ecclesiasticis satis obtemperans, nisi dicant blanda auribus: profligandi etiam, si liberius in uitam illorum inuehantur, aut ab opinioe dissentiant. Initiō tantū nō Deus erat illis Lutherus, nunc iisdem prorsus delirat, quōd nouum de Euchariſtia dogma nō recipiat. Nouam uerō libertatem Euangelicam, impunē facere sentireq; quod cuiq; libitū est. Paulus iubet tradi satanæ eum, qui contra naturæ pudorem nouercam duxerat uxorem, hortaturq; discipulos, ut subtrahant sese à cōsuetudine fratris inordinatē ambulantis. Cum his uerō qui manifestis uicijs infames sunt, ne mensam quidem uult haberi communem. Nunc circumspecte mihi soliditatem istam

IN PSEUDEVANGELICOS

Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot alijs uitijs infames. Et hos quidam habent etiam in delicijs, tantum abest ut uitent. Apostoli, quô magis uacarent Euangelio, aut abstinebant ab uxoribus quas ducere licebat: aut legitimè ductas, uertebant in sorores. Nunc flôret Euangélium, quòd sacerdotes & monachi contra lēges certè humanas, contra professionem suam, ducunt uxores. Condonetur hoc: circūspice num castiora sint eorum coniugia, quàm aliorum quos ducunt pro ethnicis. Agnoscis opinor, quas hîc fabulas tibi possim referre, si libeat. neq; enim necesse est, ut notissima referam, quæ uel magistratus, uel plebes, reclamante aut conuiuente magistratu, publicitùs designauit. Profligatus est monachismus, sed utinam cum cuculla simul excussissent uicia, quæ huic hominũ generi dicuntur esse peculiaria. Quid refert posuisse cucullam, si manet obtrectandi morbus, si inuidencia, si impudentia, si phylautia, si fucus & simulatio, si ocium et cibus alienus, si petacitas & oberrandi libido, si rerum alienarum curiositas, si uindictæ cupiditas, si animus ad iracundiam præceps? Mihi uidetur nouum monachorum exoriri genus, altero sceleratius: de malis loquor monachis. Nota mala, mala non sunt, inquit ille. Stultum est igitur mala mutare malis: dementis etiam, mala mutare deterioribus. Atque interim dum neminem amant

præter

EPISTOLA ERASMI ROTER.

præter sese, dum nec Deo, nec Episcopis, nec Principibus ac magistratibus obtemperant, dum mammonæ, gula, uentri & inguini seruiunt: postulant haberi pro Euangelicis, & Lutherum magistrum præferunt. At qua fronte Lutherum magistrum agnoscunt, qui, quod præcipuè docet & inculcat Lutherus, in primis negligunt? Fidem ubique prædicat Lutherus, ea ubi ubi est, ociosa esse non potest: operatur per charitatem, nec operatur nisi bonum. Spiritum ubique prædicat Lutherus. At qui sunt fructus spiritus? Charitas, gaudiū, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. At nos in plerisque uidemus opera carnis, spiritus nullum uestigiū. Quid autem illis cum Luthero, qui, quod illius doctrine caput est, pili non faciunt? Quanquam hæc nō sunt Lutheri, sed Christi & Apostolorum. Sit hoc disputabile, Vtrum bona opera gignant fidem, an fides pariatur bona opera, an bona opera iustificent nec ne. Illud certè extra controuersiam est, absq; fide non esse cuiquam spem salutis: & ex fide per charitatem necessario nasci bona opera, ut impudenter iactent fidem, qui non student bonis operibus: ac frustra sibi promittant salutem, qui fide gloriantur bonis operibus destituta. Iam uereor ne sub isto nomine multi nobis oriantur pagani, quò magis etiam sint liberi, si nec cælum credant esse, nec inferos, nec animos à morte corporis su

peresse. Atqui interim iactant liberatas conscientias. Perfecta pietas habet quietam conscientiam, sed habet & summa impietas. At ego malim irrequietam conscientiam, quam fidei semen perpetuò stimulans, non sinat esse tranquillam. Insanabile malum est, quod non sentitur. Sed ut ad rem redeam, si fidem tam habent in pectore, quàm illis natat in labijs, quid est quòd sic ad callida consilia technasq; confugiunt? non iam loquor de plebe, sed de primoribus. Erat mihi familiaritas Basileæ cum quodam, nondum prorsus adflato hoc spiritu Evangelico: is cum statuisset totus esse Evangelicus, primum rumorem sparsit me de Eucharistia idem sentire quod ipse sentiebat, quum ex colloquijs sciret me diuersum sentire: tum enim ea questio potissimum uertebatur. Expostulaui cum homine de techna tam parùm amica. primum inficiari, mox tergiuersari, tandem fassus est se ita fuisse quibusdam loquitur: Erasmus bene sentit de Eucharistia, nimirum idem quod ego. Rogauit quid ipse sentiret. Corpus, inquit, esse Christi. Hoc inquam sanè mihi tecum conuenit. Sed sentis illic esse corpus Christi substantialiter? Negauit cum auersatione. Atqui hoc mihi tecum non conuenit, inquam. Ceterum quid profiteris apud tuos? Corpus illic non esse nisi in signo? Annuebat. Atque interim, inquam, dum audiunt Erasmus idem sentire quod tu, nonne bella techna falluntur? Obtulit. Is iam proficiscens,

emiserat

EPISTOLA ERASMI ROTER.

emiserat unam atq; alteram epistolam, in quibus laudabat subinde meam prudentiã, subindicans lectori me non ex animo loqui, sed callidè dissimulare quid sentirem. Idem domi suæ reliquit epistolam ad magistratũ Basileensem, qua hortabatur, armatis precibus mecum agerẽt, ut aperirem animi mei sententiam, quum semel magistratui etiam scripto respondiissem. Obsecro te, num huiusmodi technæ respondent Euangelicæ sinceritati? Eiusdem (ni fallor) instinctu, sub concilium Badense, quod huic quæstioni discutiendæ fuerat indictum, prodijt libellus Germanicè scriptus, ne mihi promptum esset respondere, quo friuolis argumentis probare conabatur artifex, quòd Lutherus & Erasmus de Eucharistia sentirent cum Carolstadio, qui tum primùm sparsis clam libellis insulsiis, semen hoc Basileam recens inuexerat. Quid hoc facto impudentius, presertim quod ad Lutherum attinet? Is Carolstadium eiecerat ob hoc dogma, & reuersum adegit ad palinodiam. Id quum libellis & epistolis editis testatissimum esset, tamen homo suavis orbi persuadere conabatur, Luthero cum Carolstadio conuenire, utcunque dissimularent. Vt autem persuaderet idem me sentire, collegerat loca quædam è libris meis, quos multò antè edideram, quàm hæc existeret quæstio, aut priusquam somniissem, quenquam de Eucharistia dubitaturum: tantum abest ut ipse du-

bitarim. An qui talibus artibus rem agunt, habere uidentur fidem Euangelicam? Hoc erat illorum consilium, priusquam inueniat Erasmus interpretem, priusquam respondeat, priusquam excudatur apologia, iam hic libellus per omnium manus uolitans, omnibus persuaserit quod uolumus. Is populi error pariet nobis in eo conuentu uictoriam. Deniq; si quid responderit, pauci legent Latina, & populi suffragijs tota res agitur. Sensi technam, & quod unum licuit, iam profectis qui uocati fuerant ad illam synodum, arripui calamum, & epistola tum meam declarauit sententiam, tum illius artificis fucū detexi. Eam epistolam curauit Germanicè uertendam, & utraq; lingua descriptam, per nuncium proprium misi in concilium, postulans ut publicè recitaretur; id quod factum est. ac paucis post diebus emisi libellum apologeticum, quem in epistola fueram concilio pollicitus. Hoc facinus cum Apostolorum moribus collatum, si uelim rhetoricis rationibus amplificare, uides quàm fecundam habeam materiam. Neque uerò hinc tantum desidero simplicitatem illam columbinam, sed humanam etiam prudentiam. Facile diuinare poterat, me tantam contumeliam non tacitè laturum, & ut ipse dissimulassem, rem ipsam cōfuturam impudens mendacium, præsertim apud eruditos, atque etiam illiteratos non omnino stupidæ mentis. Quid igitur captauit? temporariam eius usuram fucis?

fuci? Sed cum scenore recidit depræhensa uanitas, efficitur; ut postea ne uera quidem dicentibus habeatur fides. At ueritas Domini manet in æternum. nec Euangelij prædicatio uoluitur per Etiam & Non, sed in omnibus est Etiam. Venatus est animos simpliciū fraudi idoneos, quemadmodum multi nunc sub umbra literarum insidiantur ætati teneræ, sexui que muliebri. Immane quàm hæc nō sapiunt Euangelicum spiritum, quem iactitant. Habes duorum illius doctrinæ procerum specimen, quorum te similem esse nolim. Nuper, ut audio, quidam istius factionis Ecclesiastes non incelebris, uerso nomine dicauit librum filio régis Galliarum, & insparfit idem uoces aliquot Gallicas, ne in autorem Germanum cadat suspicio: adficit & alijs aliquot coniecturis, ut liber Lugduni à Gallo & scriptus & excusus esse uideatur. Agnoscis esse uerissimum quod dico: neque enim obscurum est, quis hanc technam commentus sit, & aliàs in lusu simili depræhensus. Hunc ludum si sibi permitteret in re uulgari & prophana, tamen indignus esset graui uiro. Nunc quid minus conueniebat in eum, qui se profitetur sacrosancti Euangelij præconem? Appello tuam cōscientiam Neocome: tam serium, tam sanctum, tam arduum negociū, quod uos moliri iactatis, talibus facetijs peragendū uidetur? Si ex animo iudicatis esse pium quod tractatis, utique cupitis uniuersos homines eodem pel-

licere. At quo pacto ualeatis optimum quenque magis alienare? Sin persuasum quidem habetis Dei esse negocium, non hominum, & tamen reclamante conscientia, istis facis hoc agitis, quò sitis multitudinc incolumes: ut homines fallatis omnes, non uere mini Deum, cuius uindictam nullus potest effugere? Si ille maledictus dicitur, qui facit opus domini negligenter, quantò est execrabilior qui facit fraudulentè? Christus gloriam crucis non passus est tribui humane sapientiæ, & isti uolunt eam adscribi talibus ludibrijs ac præstigijs? Quòd si rem ludicram esse creditis, & aliud agitis sub Euangelij titulo, quem tandem speratis fore exitum istius tragœdiæ? quem, nisi cruentum & infelicissimum? Sed siue luditis, siue seriò agitis, saltè hoc erat uestræ prudentiæ, non irritare talibus petulantij animos principum, meq; ad purgandam famam meam compellere. quod quò facio diligentius hoc magis magisq; grauo causam uestram. Vides quantopere Lutherus obsuit fabule, primùm non omnino pessimæ, odio uolentiaq; scribendi: quem nunc uelut Aten Lita sequitur Melanchthon, componere studens quod turbauit ille: sed ipsa res docet, quantò celerior est offensio quàm medela. Videndum est itaq; uobis, ne moribus neuiquam Euangelio dignis subuertatis totum negocium: quod si impium est, rectè facitis, licet imprudenter: sin pium, quod pluribus longè secus uidetur,

EPISTOLA ERASMI ROTER.

non solum imprudenter, sed & impiè facitis. Quid alijs decadat, ex me coniecturam facio. Vix credas, quantopere mores isti animum meum alienent à toto hoc negotio. Quod etiam si quando mihi ulla ex parte probatum fuisset, his rationibus adduci possem ut resiliirem. Dices, nihil tam felix unquam fuit in rebus humanis, quin malorũ admixtu uitaretur. Ad bonos uerte oculos. Fieri potest ut mea sit infelicitas, mihi adhuc neminem contigit nosse, qui non uideatur seipso factus deterior. Arduum est quod profitemini, & Apostolorum negotio durius, quemadmodum antea demonstratum est: nec uos subleuant ulla uel uaticinia, uel miracula. quòd si uita quoq; nõ solum non cõmendat doctrinã uestram, sed fidem potius abrogat: si neglecta hac commendatione, fiduciam in improborũ conspiratione, in seditiosis tumultibus, in armis, in fucis ac technis repa nitis, piget commemorare quid uobis metuum, sed magis miseret me tot hominum millium, quos ea calamitas inuoluet. Apostolorum doctrinam tot res orbi cõmendabant: cæleste erat ac plausibile quod docebant: narrabant ea quæ uiderant oculis, audierant auribus: nihil adferebant quod non esset olim multis modis & figuris adumbratum, & Prophetarum oraculis prædictum. Accedebat tantus in prædicando consensus. Eadem loquebantur, quia eodem spiritu. Aderat præsentanea miraculorum uis, aderat spiritus ille igneus,

IN PSEVDEVALGELICOS

igneus, qui sese moribus illorum, atq; etiam vultu oculisq; promebat. Nihil ui gerebant: tantum utebantur gladio spiritus: neminem agebant in exilium: nullius facultates inuadebant: ac ne gentium quidem idola frangebant, nisi forte precibus ad Deum fuis. Denique non aliud loquebantur apud suos, aliud in tormentis. Adde nunc tot Martyrum mortes. Et tamen talis doctrina, tot rebus commendata, paulatim ac sensim occupauit orbem. Vos postulatis, ut intra nouem annos mundus aspernetur, quod ante annos mille à maioribus est traditum, & in uestra dogmata pedibus eat ac manibus, nulla harum rerum, quas recensuimus, commendati. Quale est autem quod exigitis? Ut credamus Ecclesiam annis mille quadringentis caruisse Christo, sed sponso stertente, sponsam pro Deo coluisse laruas & idola, in sacris literis enarrandis fuisse prorsus cæcam, miracula Sanctorum nihil aliud fuisse quam præstigijs demonum. Non hinc pergam collationem persequi: tu ipse conferto, simulque iudicato, num æquum sit quod à nobis flagitatis, & num uestræ saluti consultum sit, dum ista sequimini. Si uos offendunt uitia Christianorum, ostendite nobis Ecclesiæ uestræ specimen, quæ non habeat maculam neque rugam, & amplectemur illam. Quod si nostra scelera commeruerunt iram domini, solet ille per Pharaones, Antiochos, Cyros, & Nabuchodonosoras punire suos, non per uiros

EPISTOLA ERASMI ROTER.

Euangelicos, quales haberi uultis. Quid uobis polliceamini, nescio: mihi rerum proemia, progressus & omnia signa, nihil aliud promittunt, quàm calamitosum exitum, nec uobis tantum tristem. Multos secum trahet ingens ruina. Qui bene conijciet, uatè hunc existima optimum, habet prouerbiu: nec fortassis est aliud certius diuinandi genus, quàm si quis ex præteritis ac præsentibus colligat futura. Euangelica pietas à minimis initijs paulatim creuit in maius ac melius, & optimus quisque se illi iungebat: hanc doctrinam ferè leuissimus quisque amplectitur. Ad Romanos pontifices ceterosque præfules serò respit opum amor, deliciae & dominandi libido: uos statim regnare uultis detescere. De delicijs quid attinet dicere? Monachorum ordines hominum inuentum est, donemus istud: sed quot egregios uiros Franciscanorum & Dominicalium sodalitia nobis dederunt, siue spectes eruditionem, siue sanctimoniam? Primum bonos gignit Aegina, ut Graeci solent dicere: & hæc est rerum humanarum infelicitas, ut ab optimis initijs, paulatim in peius degenerent. Pudet autem referre, quales sint uestri instituti primitiæ, quàm nõ auspicata primordia. Iam mihi spectata, quàm omnia ferè cedant in diuersum. Conabantur demoliri Pontificum, Episcoporum ac monachorum tyrannidem, quòd per illos non liceret uesci quibuslibet, nec uestiri quomodolibet. Atqui hæc libertatè minimo
facileque

IN PSEUDEVANGELICOS

facileq; parare licebat ab Episcopis aut Romano Pontifice. Nunc antea contemptis theologis ac monachis per uos data est magna tyrannis excutiendi facultatibus, si quibus malè uelint: conijciendi in uincula, deniq; exurendi, quod iam experti sunt complures, nemo nõ metuit. Antea licebat uarias agitare quæstiones, de potestate Pontificis, de condonationibus, de restituendo, de purgatorio. Nunc non tutum est hiscere, ne de his quidem, quæ piè uereq; dicuntur. Et credere cogimur quòd homo gignit ex se opera meritoria, quòd benefactis meretur uitam æternam etiam de condigno. Quòd beata uirgo potest imperare filio cum patre regnanti, ut exaudiat huius aut illius preces, aliq; per multa, ad quæ piæ mentes inhorrescunt. Antè hac nemo magnopere molestus erat uescenti carnibus, modò priuatim, nunc pro heretico trahitur in carcerem, et de capite periclitatur, qui uel ualetudine coactus, gustarit ouum in quadragesima. Antea licebat cõspuere monachos ac theologos, eosdem nunc sic armastis, ut capitale sit quenquam uerbo laceffere. Antea licebat uobis proficisci quòd lubebat, nunc aut latitatis metu, aut paucis ciuitatibus uelut obsessi continemini. Antea clericos consecratio tuebatur à rigore prophani iuris, nunc sacerdotes equè atq; cerdones à carnifice torquentur, cæduntur, suspenduntur, decollantur, exuruntur, sine ulla regradiatiõe. Sic effugistis regnũ Pontificis.

EPISTOLA ERASMI ROTER.

tificis. Excussistis aliquot locis Episcopos, Canonicos ac monachos: sed muscas iam propemodum saturas, ac pro his siticulosas adsciulistis. Hæc sunt renascentis Evangelij uestri præclara auspicia: quid immineat malorum, uos diuinate. Verum iam dudum piget huius contentionis, multoq; procliuius est præterita reprehendere quàm corrigere. Atq; utinam per quosdam uestre professionis liccat mederi pristinis. Utinam res utcunq; cepta, ad eam moderationem redigatur, ut quæ officiant pietati, commoda prudentiq; curatiõe sanentur: quæ pia sunt, in his animo Christiano consentiamus: quæ nec admodum conducunt ad pietatem, nec officiant, sinamus in his unumqucunq; in suo sensu abutere: & probatis omnibus, sibi quisq; quod bonum putarit, teneat. Quæ sunt ardua, nec adhuc ad plenum discussa uidentur, sic in aliud tempus differantur, ut interim maneat inter discordes sententia, beneuolentiæ concordia, donec & illa Deus alicui reuelare dignetur. Deniq; si quid irrepserit hominum uicio, fiat idem quod à probis medicis fieri solet: uicia rerum tollantur, non res ipsæ. Sed interim meminerimus, nunquam tam feliciter actum fuisse cum rebus humanis, ut non multa fuerint condonanda. Cum primis autem iunctis uotis dominum oremus, ut ex irato nobis factus propicius, suo spiritu conciliet animos omnium in Evangelica sinceritate, utriq; uitam in melius com-
mune-

IN PSEVDEVANGELICOS

mutemus. Nec enim dubium est, quin hæc orbis miseranda calamitas diuinitus nostris sceleribus infligatur. Vna manus nobis vulnus opemq; feret. Nec tamen uetat pietas, huiusmodi malis, quæ probabile est uel Deo uolente, uel eius permissu nobis immitti, adhibere remedia, nisi fortè suam uoluntatem euidenti signo declararet, quod in uetere testamento factum semel atque iterum legimus. Neq; enim si pestilentie lûcs ingruerit, nefas est opem querere malis: neque si Turcarum uis irrumpat in Christianos, uetamur ad arma confugere: neq; non licet debitorem inficiantem, ad reddendum quod debet, adigere: aut aduersus calumniantem tueri famam nostram, modò id fiat per eos, per quos oportet, & concessis rationibus. In morbo medicum adhibere licet: ad magos, ad incantatrices fugere, fas non est. Agaricum & scammonium sumere nulla lex uetat: superstitiosis applicaturis, ac magicis precaminibus uti uetat Christiana pietas. Hostium incursum legitimo bello depellere fas est: maleficijs, ueneficijs, alijs uè demoniacis artibus eos perdere fas non est. Itidem ab improbo debitore licet legibus uindicare nummos tuos, aut à sycophanta famam adserere: at idem dolo, ui, alijs uè malis artibus non licet. Quanquam hîc quæ peccant qui fidunt humanis remedijs magis quàm Deo. Vult Deus ut quod nostra potest industria, uigilanter adhibeamus: sed hæctenus, ut in ipso sit tota nostra

stra

EPISTOLA ERASMI ROTER.

Ira fiducia, & si res cesserit ex sententia, nihil hinc tri-
 buamus nobis, sed uniuersam laudem Deo transcriba-
 mus. Seruauit per medicum, liberauit per arma, uindi-
 cavit per lēges. Sic enim illi uisum est, sed nihilo minus
 absq; his omnibus poterat opitulari: at citra illius au-
 xilia nihil opis tulissent hæc omnia, quantumuis dili-
 genter adhibita. Ita Dominus interdū permittit existe-
 re schismata & hæreses in Ecclesia sua, ut suorum &
 exerceat patientiam, & erudiat imperitiam. Quis
 enim nescit, Ecclesiam per hæreses fuisse uehementer
 & corroboratam & illustratam? nec ideo non sem-
 per acerrimè restitit hæreticis, non quidem armis, ne-
 que uenenis, nec dolis, uec calumnijs, sed armis spiri-
 tualibus: & hætenus semper uicit, non suis præsijs,
 sed diuino fauore. Illa tamen interim, quod sui mune-
 ris erat, gnauiter adhibuit, monens, obsecrans, ar-
 guens, reuincens, iugulans gladio spiritus, insanabiles
 demum à Christi corpore segregans. Nullum autem
 huiusmodi malis remedium præsentius, quàm si cau-
 sas, quibus offensus Deus, eas calamitates nobis immi-
 sit, amputemus, non his incorrectis, tantum ad confi-
 scationes, carceres, gladios, & ignes confugiamus. Ira
 scitur Deus pastoribus, quòd gregem Domino cha-
 rissimum, quem ter amare, ter pascere debuerant, ne-
 gligunt, deglubunt, deserunt ac produnt: eo' que nobis
 immittit lupos hæreticos. Prima sit cura pastorum,

C

ut offi-

IN PSEVDEV ANGELICOS

ut officij sui meminerint, & in melius commutata uita tum demum aduersus lupos armentur. Offensus est Deus ocio, luxu, superbia, libidine sacerdotum. Pro delicijs amplectantur studium sacrarum literarum, pro luxu sobrietatem, pro libidine castimoniam, pro superbia poenitentiam: ac deinde Domini praesidium implorēt aduersus haereseōn & schismatum autores. Huius mundi Principes interdum offensi duritie populi detrectantis pēdere quod illis debetur, coniuentes patiuntur illum ab hostibus infestari, quō uel sic docti resipiscant, & agnoscant quantum suo Principi debeant. Hi si protinus ad régis auxilium confugiant, nihil egerint, nisi submoueant irarum causas. Quod dico de sacerdotibus, idem de monachis, de clericis omnibus sentiendū arbitror. Quem ex his adhuc conspeximus his calamitatibus doctum, ad frugem meliorem se recipere? Quis abiecit concubinam? quis luxū uertit in ieiunium? quis opes, quibus haectenus equos, canes, amicas aluit, effudit in pauperum subsidia? quis strepitu delicijsq; ualere iussis, solatium omne in sacris libris reposuit? Quis monachorum abiecta hypocrisi, ueram pietatē amplexus est toto pectore? Et haud scio an populi mores sint etiam corruptiores. Quod si simul omnes, agnoscentes peccata nostra, supplices confugeremus ad domini misericordiam, non est surdus, mihi crede, nec inexorabilis. At si perseuerantes

in his

EPISTOLA ERASMI ROTER.

in his, ob quæ Deum nobis iratum nouimus, nec perseuerantes modò, uerumetiam peiora prioribus adiucientes, oleum addimus camino, frustra nostris freti consilijs, pollicemur nobis malorum finem. Nunquam tam feliciter actum est cum Ecclesia, quin inter paucos bonos, multos pertulerit malos. Quoties clamat Paulus in pseudapostolos, in canes, in malos operarios, in falsos fratres, in uentris mancipia? Solent omnium rerum feruere principia. Erat tunc temporis rarus ac pusillus Ecclesiæ grex, & tamen in hoc erat dissidia, factiones, contentiones: in hoc erat, qui palam uxoris loco nouercam haberet: in hoc Demas, qui relicto Euangelio secutus est seculum: in hoc qui insincerè prædicarent Euangelium, qui mentirentur, qui circumuenirèt, qui fraudarent fratres, qui circumciderentur: in hoc quæ ociose circumibant domos alienas, garrulæ & curiosæ, oneratae peccatis: in hoc erant uide, quæ collecta ex Ecclesiæ cibo lasciuiæ, deserto Christo, sese reflecterent ad Satanã: in hoc erant, qui blandiloquijs seducerent corda simpliciũ: in hoc erant qui mētirentur sibi apparuisse angelos. hæc aliãq; multa tum fuisse, liquet ex epistolis Apostolicis. Tantũ malorum iam tum lactens rarãq; tulit Ecclesia, & miramur si in eadem tam numerosa, tam latè diffusa sunt quæ bonis displiceant, & ob uicia quædã inspersa, censemus uniuersam Ecclesiæ scenam inuertendam? Op-

IN PSEUDEVALGELICOS

tabile quidem est, omnes Ecclesie præsules esse quam
 maxime sacra doctrina, studio pietatis, charita-
 te, sinceritate morum ornatos. Pastores sunt ouium,
 sed & ipsi sunt oues: homines, hominum curam gerunt.
 Nec tamen est quorumlibet, horum uicia corrigere:
 denique ut boni sint, magna pars populo in manu est.
 Præbeant se laici dociles, non deerunt illis doctores
 per Dei prouidentiam. Clament instanter ad summum
 pastorem, ut ille placatus prospiciat suo gregi. Quam
 diu trahitur per huius seculi fluctus Ecclesie sagena,
 necdum ad littus peruenit. malis bona permixta fera-
 mus oportet, eaque semper fuit, semperque futura est re-
 rum humanarum conditio, ut plus habeant aloës quam
 mellis. Quod si quis undiqueque tantum decerpit ma-
 la, nimirum illi nulla uitæ portio placebit, sed proba-
 bit Sileni sententiam, Optimum esse non nasci, proxi-
 mum quam ocysissime aboleri. Quod si in aestimandis re-
 bus sinistrum duntaxat oculum intenderit, occluso de-
 xtro, ea quoque que rectissima sunt, uidebuntur pessi-
 ma. Porro quum Ecclesia, quemadmodum res ceteræ
 mortalium omnes, habet rudimenta, progressum &
 summam, nunc subito illam ad primordia reuocare,
 nihilo sit absurdus, quam uirum adultum ad cunas &
 infantiam uelle retrahere. Multa secum defert tem-
 pus, & rerum status multa commutauit in melius.
 Olim clanculum in ædes priuatas conueniebant pauci
 Chri-

EPISTOLA ERASMI ROTER.

Christiani : nunc in templum publicum & consecra-
 tum congregantur omnes : Vtrum decenarius ? Nimi-
 rum hoc. Olim in coenis sumebatur Eucharistia, in qui-
 bus, teste Paulo, alius esuriebat, alius ebrius erat : nunc
 à ieiuniis sumitur ad sacram mensam. Vtrum religiosi-
 us ? Olim in Ecclesia alius habebat hymnum, alius apo-
 calypsim, alius psalmum, alius loquebatur linguis, ali-
 us prophetabat : & inter im garriebant muliercula :
 nunc certis hominibus distributa sunt officia, ceteri
 taciti compositi que auscultant, aut orant : Vtrum reli-
 giosius ? Olim in nocturnis uigilijs cursitabatur ad se-
 pulchra martyrum, à pueris, puellis, uiris, monachis,
 uxoribus, sacris uirginibus : At flagitia quæ sub umbra
 pietatis admittebantur, persuaferunt ut hoc uigilia-
 rum genus tolleretur. Noctu populus obambulabat
 cum candelabris argenteis, canens hymnos, & inter-
 dum dum diuersæ professionis sibi occurrebant cho-
 ri, hymni uersi sunt in rixam, candelabra in arma.
 An non igitur & hoc rectè sublatum ? Olim corpus
 Domini dabatur in manum, ut domi, cum uellent, sume-
 rent, qui acceperant : at quum existerent qui tracta-
 rent indignè, qui ad artes magicas abuterentur, muta-
 ta est in melius consuetudo. Olim populi suffragijs
 creabantur Episcopi, eiusdem libidine deiciebantur,
 interdum lapidabantur. Res erat plena tumultus, in-
 terdum & cædis. Itaque res ipsa persuasit, ut penes

IN PSEVDEVANGELICOS

paucos ac certos homines esset ius designandi Episcopos, aut etiam submouendi. Olim Episcopi ad populum loquentes, cogebantur scenicum quiddam exhibere, non aliter quàm histriones, quorum actio nisi placeat populo, non optimo iudici, sibilis eijciebantur è proscenio. Atq; interdum audiebantur indecoræ acclamationes, incompositæ manuum iactationes, aliq; turbulenti gestus, sibili, cachinni, si quid displicuisset, aliasq; quæ vulgus è theatris ac circis secum ferebat in Ecclesiam Dei. Queritur hoc frequenter Ioannes Chrysostomus, nonnunquam & Hieronymus. Nunc è suggesto dicentem taciti, multaq; cum reuerentia auscultant omnes. Vtrùm quæso templo dignius? Olim totus populus canebat, & sacerdoti respondebat, Amen. Ibi strepitus tonitruo non absimilis, & ridicula uocum confusio spectaculum exhibebat indignū cultu diuino: nunc designati sunt qui canant decenter, cæteri psallunt in cordibus suis domino. Recens Ecclesia nullam speciem musices recipiebat, nec sine reclamatione recepta est, sed modulatæ recitatiōi similior quàm cantui, primū apud Græcos, deinde apud Latinos: cuius specimen adhuc uidere licet in precatione dominica, aut si quid aliud est eius generis: nunc, ut est natura rerum humanarum, eò degenerauit usus, ut in multis templis ferè nihil audiatur præter immanem boatum, aut ineptum uocum garritū, qui citiùs inuitet ad lasciuiam, quàm ad pie-

ad pietatis adfectum. At non ideò musica omnino sub
 mouenda è templis, sed quod prauè irrepfit, arte cor
 rigendum est. Seculis aliquot abominabile censebatur
 in templis Christianorum uideri pictam aut sculptam
 imaginem. Id iuxta illorum temporum rationem suade
 bat pietas partim ob iudeos, qui ex præcepto Dei de
 testabatur omnia simulachra, alioqui proclives ad ido
 lolatriam: partim ob eos qui ex gentibus uenerant ad
 Euangelium, in quibus probabile est aliquandiu rese
 disse ueteris instituti reliquias. Nunc imaginum usus
 eò processit, ut non solum modum excefferit, uerum
 etiam à decoro recesserit. Videmus in templis, quæ pa
 rum decore pingerentur in porticibus aut popinis.
 Nihil tamen necesse est in totum submouere picturas,
 quæ plurimū habent & uoluptatis & ornamenti & uti
 litatis, sed quod est uitij, corrigendū erat. Olim Eccle
 sia nullas habebat scholas publicas, dūtaxat in re The
 ologica: solus Episcopus erat doctor omnium. Sed quan
 to rei Christianæ bono institutæ sunt scholæ, præfer
 tim apud natiões barbaras? Nunc questus & ambitio
 uitiauit hoc bonum, quæsiunculis ad ostentationē ma
 gis quàm ad pietatem facientibus. An ideò tollendæ
 scholæ? Nequaquam: sed ad Christianam sobrietatem
 reuocāda sunt studia. Atqui ex isto sodalities extiterunt
 quæ priuatim ac publicè docuerūt, Disciplinas humanas
 nihil aliud esse, quàm retia dæmonū: tantumquæ profecerunt,

IN PSEVDEVANGELICOS

ut perquam raros in isto grege conspicias, qui seriò
 dent operã literis, uel sacris uel prophanis: Quæstui,
 uoluptati studetur affatim. Olim liberum erat mona-
 chorũ genus: sed quum increscens turba se per orbem
 spargeret, exordijs ab Aegypto profectis, multa que
 flagitia sub obtentu pietatis committerentur, iamq̃
 per hos metueretur totius Ecclesiæ confusio, necessa-
 riò redacti sunt in uitæ genus adstrictius. Et huc cer-
 tè conducunt uestium discrimina, quò uitentur faci-
 lius, si mali sint. Olim aduersus hæreticos non pugna-
 batur nisi gladio spiritus: uerum posteaq̃ eò pernica-
 tia studiorum efferbuisse, ut res ad cruentum orbis
 tumultum spectare uideretur, coacta est Cesarum po-
 testas, legibus & armis publico occurrere discrimini.
 Olim Ecclesiæ præsidēs alebantur his, quæ sponte de-
 ferebat populus: nec alijs armabantur præsidijs, q̃
 doctrina, precibus, & lachrymis: atqui apud nationes
 efferas ipsa persuasit necessitas, ut aduersus popula-
 res incursum, opibus, edificijs, & ministerijs munirentur.
 Quid multis? Si Paulus hodie uiueret, non impro-
 baret, opinor, præsentẽ Ecclesiæ statum: in hominum
 uicia clamaret. Et quibusdam nihil usquàm placet, nisi
 quod ipsi insituerunt, quanquam ne in his quidem con-
 stantes. Medendum itaq; uicijs, sed citra tumultum. &
 illud obiter cauendum, ne morbo sint atrociora reme-
 dia. Quòd si altera pars nihil omnino nouari patitur,
altera

EPISTOLA ERASMI ROTER.

altera nihil patitur relinqui, quis erit contentionis finis? Si præsules Ecclesiæ, si principes prophani, sepositis mundanis adfectibus, nihil sibi proponant, nisi Domini gloriam, & Ecclesiæ spirituale commodum, malum absque magno tumultu poterit sedari. Hic igitur erat ambiendus honestis rationibus & monarcharum & præsidum fauor, potius quam alienandi illorum animi. Superest instanter orare, ut hanc mentem Christus omnibus inspirare dignetur. Verum hisce de rebus plura quam statueram Quod superest, facerem quod antehac feci, hortarerq; ut ad nos te reciperes, si sperarem me quicquam profecturum. Dominus adspiret animo tuo quæ saluti tuæ conducunt. Ignosces libertati meæ, Vulturi charissime. Quum hæc quæ facis, mecum reputo, multa in te desiderare cogor. in primis pristinum illum animi tui candorem, & in nos peculiarem etiam quandam benevolentiam: tum prudentiam non vulgarem, ad hæc mentem sobriam: deniq; totum illum Vulturium, quem olim cum multis bonis doctisq; uiris & noui, & amaui. Saltem hoc impetrem abs te, ut si minus in gratiam meam, certè tuâ ipsius causa, postremo negocij respectu, quod tu pium ac sanctum existimas, ego nondum omnino despero ad aliquod temperamentum posse reduci, temperes ab istiusmodi nenijs. Est satis argumentorum, si libet uacatq; ludere, ut citra noxam, amici iocis indulgeas. Sin pro-

AD EPISCOP. LONDON.

esse cupis, multò alia tibi inuenda est ratio. Hæc pu-
a tibi ab homine uerè amico scripta esse. Dominus te
irruet. apud Friburgum Brisgoicum, pridie Nonas
iouembres, Anno Domini M. D. XXIX.

ERASMVS ROTERO

DAMVS GVTBERTO TON-

stallo Episcopo Londoniensi

S. D.



STVD tam pium studium, tam fla-
grantem erga Ecclesiam Dei zelū,
non possum equidem non uehemen-
ter probare, præsul cum primis ob-
seruande: nec dubito quin istū men-
tis impetum iudicio susceperis: at mihi meiꝑ; similibus
circumspiciendū est, ne quod scribit Apostolus, zelum
habeamus, sed non secundum scientiam: ac iuxta Par-
menonis Comici dictum, Metuendum ne nimium cali-
um hoc sit modo. Siquidem uideo quibusdam usuueni-
e, ut dum maiore studio quàm iudicio rem gerūt, non
solum unà cū zizanijs euellant triticum, quod Christus
in Euangelio fieri uetuit, uerum etiā pro zizanijs euel-
lant triticū: dum uel prius damnant quàm intelligunt,
uel quod piè dictū est, interpretatiōe deprauant: idꝑ;
uideri uolunt zelū religionis, & hærese òn odiū: quum
hæc præcipua sit pestis & pietatis & concordie, Sic
qui

EPISTOLA ERASMI ROTER.

qui uehementer amant quempiam, nihil in eo non lau-
dant: qui uehemēter oderunt, nihil nō damnant. In Lu-
theri scriptis quedam audio reprobari, quæ si sobria
collatiōe inter eruditos & integros disputarentur, nō
nihil cōferent ad spiritualem & Euangelicū uigorem,
à quo mundus nimīū profectō degenerauit: idq; corū
opera potissimū, q̄ apud Italos ius Pontificiū profes-
si sunt, magna quidem cū laude, tum ingenij, tum indus-
triæ, sed utinā pari fructu ueræ pietatis. Cōstitutiones
hominū, quoniam imperitæ multitudini ferè parātur,
hoc agūt, ut minūs peccetur. Christi philosophia lon-
gè altius uocat, & alijs tationibus ingreditur. Fateor
esse uerissimum, q̄ tu non minūs eloquenter q̄ eruditè
differis, priscos Ecclesiæ proceres nusq̄ magis decla-
raste, qd ingenio, doctrina, facundiāq; ualuerint, q̄ in
cōsistibus aduersus hæreticos, nec aliunde plus ueræ
laudis retulisse: & huc me puocas splendidis sanè ex-
emplis, Origenis, Basilij, Cypriani, Hieronimi, Augu-
stini, uerū ubi me cū his cōfero, me miserū, protinus,
ut Homericè dicā, πῶς αὖ ποσὶ κἀππεσε θυμὸς. Utinā
cas uires, quas mihi sermōe tribunt multi, reitidē dare
possint. Hoc unū polliceor, me p̄ mea qualicūq; portiōe
non defuturū Ecclesiæ negocio. Utinā de exitu rei tua
te fallat diuinitio. Mihi nō admodū sagaci iam dudum
idem subolet: quod si eueniat, uereor ne pro excussis
Pontificibus, Episcopis, & Principibus, sordidos quos-
dam

AD EPISCOP. LONDON.

dam dominos recipiamus, multò illis inclementiores. Nam ἀναρχία iam pridē mussant ij, quos Anabaptistas uocant. aluntur & alia dogmatum monstra, quæ si proruperint, efficiunt ut Lutherus propemodum orthodoxus uideri possit. Mussatur & illud, Baptismum nec in adultis nec in paruulis esse necessarium. Quòd si persuaferint, id quod moliuntur quidam, in Eucharistia nihil esse nisi panem & uinum, non uideo quid nobis reliquum faciant de sacramentis Ecclesiasticis. Extitit aliud insanie genus, Prophetæ uolunt uideri, sed ridentur ab omnibus. Nulla quidem adhuc exorta est secta, quæ de Christo predicet impiè: multis tamē hic opinionum tumultus addidit animos, ut ausint non solum de Christi diuina natura blasphema loqui, uerùm etiam de scripturæ totius autoritate dubitare. Ita fit, quoties, semel effractis repagulis, sese in licentia campum effudit hominum temeritas, nullum facit insaniendi finem, donec omnia secum inuoluat exitio. Istis, ut uerissimè scribis, omnia displicent. sed quidam è diuerso omnia mordicè retinent, nec ea quidem mutari uolentes, quæ perperam irrepsere in Ecclesiam, & undè scatet præcipua Christiani populi corruptela: quumq; dicimus illis, uehementer iniquum esse, ob hominum uicia conuellere quæ recta sunt, respondere solent, ut sunt linguaces, Eos quorum arbitrio gubernatur Ecclesia, nec Dei timore, nec scriptu-

rarum


EPISTOLA ERASMI ROTER.


rarum admonitu, nec principum autoritate, tot iam
 seculis hactenus corrigi potuisse, nec aliam esse uiam
 medendi, nisi perturbatis omnibus. Vtraq; pars ad se
 trahit funiculum contentionis. Malum hoc immedica-
 bilius reddit principum pertinax discordia: quod ita
 uelim radicitus extirpari, ne ad tempus repressum,
 paulò post maiore exitio rebulliat. Restituendæ Ec-
 clesiæ formam nobis depingit liber Esdræ. Bona spes
 esset, si dominus nobis talem principem mittere digna-
 retur, qualis fuit Esdras: talem Pontificem, qualis fuit
 Iosue: talem Prophetam, qualis fuit Aggeus: talem po-
 pulum, ut dum reclamatione impijs dogmatibus, correctæ
 mala uita, bonis operibus edificet ciuitatem ac do-
 mum Dei. sic enim legimus, Vna manu faciebat opus,
 & altera tenebat gladium. edificantium enim unus-
 quisq; gladio erat accinctus renes, & edificabant, &
 clangebant buccina. Nunc si in clamoribus aliquot the-
 ologorum ac monachorum parum sobrijs, si in armis
 & in copijs Episcoporum & Cardinalium tota spes
 nostra est: demirabor si per ea poterit sanari malum,
 undè præcipua scatet occasio mali. Sed nondum prome-
 remur, ut ad flatu spiritus expergiscamur orbis pri-
 mates. In domino confido, qui non irascitur in perpe-
 tuum: & nunc meritò cū Psalmographo dicere possi-
 mus. Repulisti nos, & destruxisti nos. Vtinam liceat
 & illud accinere: Iratus es, & misertus es nostri. Illud
 certe


CXXX AD EPISCOP. LONDON.


CXX certè licet, Commouisti terram, & conturbasti eam:
sana contritiones eius, quoniam mota est. Sed nã ego
sum insigniter impudens, qui hæc ad te. Dominus pie-
tatem tuam sospitet, ac prosperet in æuum præ-
sul ornatissime. Datum Basileæ, Anno
millesimo quingentesimo uige-
simo quinto.

FINIS.











732853

752853

